



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Vita Benedicti Papae VII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

que *Georōnou* semper virginis Mariæ, nec non apostolorum Petri & Pauli, Aldelmique almi præfulis, honorem, particulam terræ, & nominatim terram cum pratis & siluis munifica liberalitate restitui. Hæc a prædictis accommodata clericis a contentioso iniuste possessa est * Edolnoto; sed superstitiosa subtilique eius disceptatione a sapientibus meis auditæ, & conflicitatione illius mendosa ab eisdem me præsente conuicta, monasteriali a me reddita est vñui, anno dominicæ incarnationis nongentesimo septuagesimoquarto, regni vero mei decimoquarto, regiæ consecrationis primo. *Hæc Malmesburiensis.*

.S V B S C R I P T I O N E S.

Ego Edgarus totius Albionis finitimorumque regum basileus cum signo sanctæ Crucis istud chirographum confirmavi.

Ego Dunstanus Dorobernensis archiepiscopus istud donum regium hagiæ Crucis trophæo corroboravi.

Ego Osvaldus Eboracensis archiepiscopus subscripsi.

Ego Athelvoldus episcopus Vvintoniensis consignavi.

Ego Lefvvinus Dorcaciſtrenſis episcopus consenſi.

Ego Alſtanus episcopus Londoniensis annui.

Ego Turketulus abbas Croylandiæ subnotaui.

Ego Athelgarus abbas noui monasterii Vvintoniæ approbavi.

Ego Adulphus abbas Burgenſis collaudaui.

Ego Alferus dux adfui.

Ego Athelvinius dux adſtiti.

Ego Brithodus dux aspexi.

Et alii.

VITA

ANNO
CHRISTI
975.

BENEDICTI PAPÆ VII.

BENEDICTVS huius nominis septimus omnium suffragio anno Christi 975. creatus est Romanus pontifex, quando auxilio Albericorum, de quorum familia ipse erat, adiutus, tyrannum & inuasorem throni apostolici Boni facium ab Vrbe discedere, & pontificatum deserere coegisset. Exemplo & auctoritate Leonis Ostiensis, qui libro 2. cap. 4. Benedictum septimum eiusdem nominis Benedicto sexto, nullo alio interposito, successisse refert, ego

Benedictus quando & quibus auxiliis pontificatum quiete adeptus.

Cur Bonifacius omisso hic pon-

192 BENEDICTI PAPÆ VII. VITA.

tifex sub-
iungatur
præcedenti
Benedicto?

cum reuerendissimo & illustrissimo cardinale Baronio, Bonifacio illo sedis inuasore e numero & serie pontificum expuncto, eumdem Benedictum septimum sexto cognomine Benedicto subiungo, ob causas quas supra allegauit.

Otto II.
moritur.

Otto III.
succedit.

Benedicti
obitus.

Hic Sergium Damascenum episcopum a Sarracenis relegatum benigne excepit, eique ecclesiam sancti Bonifacii, siue Alexii, colendam tradidit: in qua cum ille monachos collegisset, restitutaque obseruantia monastica annos quatuor illic egisset, sancto fine quieuit. Huius temporibus Otto secundus, dum post obitum patris decem annis imperium tenuisset, propter cladem sibi suoque exercitui in Calabria per Græcos & Sarracenos illatam mœrere confectus, obiit Romæ, anno Redemptoris nongentesimo octuagesimo tertio.

Otto tertius, quem pater adhuc viuens per Moguntium & Rauennatem archiepiscopos Aquisgrani regem eligi & coronari procurauerat, in locum patris defuncti successit. Octavo mense post mortem Ottonis Benedictus papa ex hac vita migrauit decima Iulii, anno Christi nonagesimo octuagesimo quarto, cum annos nouem sedem pontificiam tenuisset. Sepultus est in basilica sanctæ Crucis.

CONCILIVM
CONSTANTINOPOLITANVM
QVO BASILIVS PATRIARCHA DEPOSITVS FVIT
anno DCCCCLXXV. sub Benedicto papa VII.

ANNO
CHRISTI
975

N O T A.

Concilium.] In hac Synodo, quæ teste Cypalate habita fuit indictione tertia, Basilius patriarcha criminis accusatus deponitur, & in locum eius substituitur Antonius Studites. Baronius anno 975. num. 10.

CON-